



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia
illustrata: facundissimis ...

Qvo Eivsdem Philosophia, Mathesis Et Chronologia: Sive De Natura Rerum,
Ratione Temporum., Sex Mvndi Ætatibus, Philosophiæ Elementis; Et Alii
Vtilissimi Simvl Et Cvriosi Tractatus

Beda <Heiliger>

Coloniæ Agrippinæ, 1688

De temporibus, liber.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72047](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72047)

VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI, ANGLO-SAXONIS, DE TEMPORIBVS, LIBER.

ARGVMENTVM IN LIBRVM BEDÆ,
De Tempotibus.

Superiore libro de mundo & precipuis eius partibus, brevibus ac perspicuis rudimentis, in Cosmograpia leſor inſtitutus eſt, quandoquidem ad temporum ac hitoriarum cognitionem, quibus hoc argumentum eſt deſtinatum, ea diſciplina paraſceve eſt. Hoc autem volumine quod de temporibus inſcribitur, temporum partes, ſpecies & diſcrimina curſim tantum exponit, præcedente enim idem argumentum copioſius tractas. Ordinis enim fuit & quidem ſecundum naturam, ut poſteaquam temporis cauſam unde proveniat, id eſt, mundum, explicafſet, nunc de effectibus & conſequentibus oratio inſtitueretur, quæ quia præcedenti libro fuſius traduntur, explicat ionem locorum diſſicilium illi argumento referuavimus.

TEMPORIS DIVISIO. CAPUT I.

Tempora momenti, horis, diebus, menſibus, annis, ſeculis & ætatibus dividuntur. Momentum eſt minimum atque anguſtiſſimum tempus, à motu ſiderum dictum, eſt enim extremitas horæ in brevibus intervallis, cum aliquid ſibi cedit atque ſuccedit. Hora græcum nomen eſt, & tamen latinum ſonat: ora enim finis eſt temporis, ſicut & oræ ſunt fines maris, fluviorum, veſtimentorum. Conſtat autem hora quatuor punctis, decem minutis, quindecim partibus, XL. momentis. Et notandum propter errorem cavendum, quod comperis partim natura, partim authoritate vel conſuetudine, nitatur. natura, ut annum communem duodecim menſes lunares habere: conſuetudine, ut menſes triginta diebus computari: authoritate, ut hebdomadam ſeptem feriis conſtare.

GLOSSÆ SVPER LIBRVM BEDÆ PRESBYTERI, De temporibus: incerti authoris. CAP. I.

Tempora dicuntur à temperamento, quòd ſe invicem temperent calore & frigore: momenti, horis, diebus, menſibus, annis, ſeculis, ætatibus. Seculis, ſcilicet unius hominis. Seculum ſecundum quosdam ſunt ducenti & viginti anni: ſed Servius dicit, uniuscujuſque hominis ætatem vel vitam ſeculo poſſe diei. Beatus Hieronymus ſic dicit in libro Hebræicarum quaſtionum: Non igitur humana vita, ut multi errant, in centum viginti annis contracta eſt, ſiquidem invenimus quòd poſt diluvium Abrahami vixerit annos centum ſeptuaginta quinque, & ceteri amplius ducenti & trecenti anni.

Sol cedit. Sol curſum ſuum agendo & cedit & ſuccedit ſibi. Cedit quidem, dum ab uno in alterum ſui circuli tranſit locum: ſuccedit autem, dum ejuſdem ſemper partes quaſi ſe ſequendo recurrit. Vel cedit, dum prima pars eſt, venit ultima. Si ve cedit in aſcendendo uſque ad meridiem: ſuccedit in deſcendendo uſque ad occaſum.

Brevibus intervallis. Breve intervallum eſt de momento ad aliud momentum.

Cum aliquid. Id eſt, aliquod ſidus, ubi ſoli cedit ab hominibus: id eſt, cum locum dat atque ſuccedit aliquod ſidus hominibus, non ut tranſeat, ſed tantum ſe moveat.

SCHOLIA IN CAPVT I. BEDÆ PRESBYTERI,

De temporibus: auctore Joanne Noviomago,

Hora græcum nomen eſt] *ωρα* aſſiratur, latinè verò ora quæ non tempus ſignificat, ſed ſpatij cuiuſque aut magnitudinis extremitatem, ut locorum, regionum, veſtium etiam, leuem habet: non igitur idem eſt, ſpiritu namque diſtinguitur Græcum & Latinum. Horas autem Græci vocant quatuor anni trimeſtria ſpacia nota vulgo ver, æſtatem, autumnum & hyemem, quas partes antior eſt Euſtathius Homerum intelligere in Iliade, ubi quatuor deas horas introducit, quarum due calum aperiant, relique claudant. Aperitur autem calum, ut tradunt & phyſici, & probat Ariſtoleſ lib. 2. de Generatione & corruptione, à bruma uſque ad ſolſtitium, quod tempus eſt generationis: clauditur viciffim à ſolſtitio uſque ad brumam quod tempus vocant corruptionis. Toto enim hoc tempore ſol decedit: ſed vulgatiore ſignificatione temporis momentum quoddam ſignificat diei civilis partem viceſimam quartam ſcriptores æquinoctiales vocant, & ſunt toto anno æquales, quæ dum ſunt, oritur mundi ſemuncia, id eſt, viceſima quarta pars alius diei naturalis, quæ à nocte diſtinguitur, partim ſignificat duodecimam, hæ ſunt inæquales, æſtate namque longæ ſunt hujus generis horæ. Hyberna itaque nox quia proluxa eſt, nocturnas habet longiores horas.

DE DIE CAPUT II.

Dies vulgaris eſt ſolis præſentia ſuper terras, qui propriè XXIV. horis impletur. Hunc Hebræi, Chaldaei & Perſæ inter duos ſolis exortus, Ægyptii inter duos occaſus numerant: Romani à medio noctis in medium: Umbri & Athenienſes à meridie computant ad meridiem. Moſes autem à mane uſque ad mane unum diem appellat: ſed Domino ſurgente veſpera ſabbati, luceſcebat in primam ſabbati: ut homo de luce lapſus in tenebras, deinceps à tenebris rediret ad lucem.

SCHOLIA IN CAPVT II. BEDÆ PRESBYTERI,

De temporibus: auctore Joanne Noviomago,

Dies vulgaris eſt ſolis.] Diem hunc vulgo artificialem impropriè nominant: alij ut jam ſumus ſapienter reſtati, naturalem: nome

certè habet à tove, quem Græci *Ἰσθια* vocant intelligunt autem physici Jovis nomine solem, veluti ex notissimo Orphei & Ennii versiculo constat, atqui sol est auctor diei.

Hunc Chaldaei & Persæ inter duos solis exortus. De vario dierum initio vide Gellium, & Calij lectiones antiquas.

DE NOCTE. CAPUT III.

NOx est solis absentia terrarum umbra conditi, mortalibus ad requiem facta, ne opere diutino avida deficeret humanitas: ubi rigidior, ibi & ad opera minuenda membra fovenda prolixior. Cujus partes sunt septem: Crepusculum, id est, dubia lux inter lucem & tenebras: nam creperum, dubium dicimus. Vesperum, apparente stella hujus nominis. Conticinium, quando omnia silent. Intempesum, quod est medium & inactuosum noctis tempus. Gallicinium, quando gallus resonat. Matutinum, inter abscessum noctis, & auroræ adventum: & diluculum, quasi jam incipiens parva diei lux, hæc & Aurora, solem præcedens.

SCHOLIA IN CAP. III. BEDÆ PRESBYTERI,

De temporibus: auctore Joanne Noviomago.

Nox est solis absentia. Nox à græca dictione est litere unius mutatione. Græcè enim *νύξ* noctem significat, hunc Aristoteles definit primo libro *ἠθικῶν*, *ὡς τῆς νύκτος*, id est, umbram terræ, necesse namque, ut ex physica atque optica constat, corpore in lumineposito umbram fieri in adversa luci regione. Itaque dum sol infra finitorem (quem Græci *ὁρίζωντα* vocant) decurrit, necesse est umbram terræ latè per aëra aspergi celo, non autem penetrare usque ad ultimum calorum, ut docent Astrologi & Physici: est autem umbra hic, quod ad figuram attinet, mente simili seu pyramida, de qua re vide schemata quadam superius descripta, ubi hæc ipsa copiosius.

Mortalibus ad requiem facta. Nox rebus agendis inepta est, ob id quidam à nocendo dictam scribunt, faciunt poeta hanc Terra prolem (cujus ratio deprehenditur ex bis que modo diximus) hæc statim genuit *ὄρνος* & *θάνατος*, id est, Somnum & Mortem germanos fratres: tum quia nox somnum conciliat, qui dimidium vite hominibus aufert, hoc est semimortuos reddere, lepide itaque excogitatum mortem fratrem esse somnum, ut apud Senecam in tragedia: *Dira frater languida mortis*.

Ubi nox rigidior. Frigidus somnus producit, calidus autem conciliatur, vide Aristotelem in libello de Somno & vigilia. Itaque natura propius est, ut hyberna noctes astris sint longiores, & eo quidem magis, quo regio ipsa septentrionibus extra solis viam propius subiecta est, veluti Britannia noctem brumalem habet horarum XVII. Germania XVI. Italia verò XV. Hybernia autem XIV. Porro Thyle, quæ terrarum ultima est, mensibus pluribus una nox durat, sed vicissim in his solstitiales dies totidem horas perdurant, itaque lucis & tenebrarum ratio in omnibus regionibus equalis est, facta inter sese collatione equalium & inequalium.

Apparene stella hujus nominis. Itac Veneris stella est, que dum solem sequitur, & sub noctem in occasu a caeli parte cernitur, vesper & vespertus, & vesperugo dicitur: si verò idem sidus mane solem antevertat, lucifer & Græcè phosphoros dicitur, omnium stellarum que in celo sunt maxima ac luculentissima umbram enim reddit tanto luna minorem, quantum ipsa solis umbra vincatur.

DE HEBDOMADA. CAPUT IV.

Hebdomada septem diebus constat, octavus autem dies idem primus est, ad quem reditur, eoque rursus hebdomada orditur. His nomina gentilitas à Planetis indidit, habere se credentes à Sole spiritum, à Luna corpus, à Marte sanguinem, à Mercurio ingenium & linguam, à Jove temperantiam, à Venere voluptatem, à Saturno tarditatem. Sed Sylvester Ferias appellare constituit, primum diem Dominicum nuncupans, imitatus Hebræos, qui primam sabbati, secundam sabbati, & sic cæteros à numero nominant: apud quos hebdomada totidem etiam annis peragitur: qui hebdomadam quoque hebdomadarum in diebus similiter habebant & annis, quinquagesimum diem Pentecosten, annum verò Jubileum, id est, libertatem vocantes.

SCHOLIA IN CAPUT IV. BEDÆ PRESBYTERI,

De temporibus: auctore Joanne Noviomago.

ἑβδομα seu *ἑβδομας* & hebdomada (tot enim modis dicitur) tempus est septem dierum, unde & nomen habet etiam apud Latinos, nam septimanam vocamus. Quos non ex conversione astrorum, unde reliqua serè colliguntur, sed auctoritate Dei (qui sex diebus, ut antè dictum est, mundi creationem complevit, & septimo quievit) primum Iudei ordinarunt, quorum sex vacationibus rerum prophanarum tribuerunt, septimum religioni & quieti, unde sabbatum dictum est. Quoddam inde gentiles & Christiani, diversa tamen ratione sunt imitati, & primum quidem à sabbato diem, primam sabbati, deinde sequentem secundam sabbati: & ita deinceps, pro quibus Ecclesia utitur feriarum ordine. Nam religio vetuit hos dies gentilitatis dijs inscribere, quales sint, dies Veneris, Martis, &c. De cuius facti ratione alibi est dictum copiosius.

His nominibus gentilitas à planetis indidit. De affectionibus corporalibus, quas poeta largiuntur nascentibus, si sive cupis exactè, lege Pontani de rebus celestibus librum quartum.

DE MENSE. CAPUT V.

Mensis lunaris incremento lunæ senioque conficitur, dum XXIX. & semis diebus paulò plus quàm Zodiacum peragit: sed facilitas computandi trigenis & undetrigenis diebus lunæ, mensis alternat. Solaris autem mensis xxii. horis est amplior, ex quibus XI. epactarum dies accrescunt, quibus sol lunæ cursum singulis annis exuperat. Duodecies enim viceni & bini CCCLXIV. faciunt, & undecies vicini & quaterni eundem numerum complent. Sed Hebræi menses à luna nascente, Romani à Calendis incipiunt, Ægyptij à quarto die Calendarum Septembrium, usque in nonum Calendarum eandem, XXX. diebus suos menses putantes: residuos verò dies intercalares appellant. Qui primi ad solis cursum menses terminare cœperunt, ne lunæ velocior & dubius cursus impedimentum calculandi eis faceret.

SCHOLIA IN CAP. V. BEDÆ PRESBYTERI,

De temporibus: auctore Joanne Noviomago.

Dum XXIX. diebus & semis paulò plus quàm Zodiacum peragit. Rehtë dictum, paulò plus. Nam hoc dierum numero signiferum integrum perimitur, & duodecimam eius serè partem. Mensis enim est, nondum luna ad eandem partem signiferi, unde præcedente mense exibat, revertitur: sed quod est inter duos ejus à sole synodos, Latini cætus vocant. Præcedenti autem libro de mensibus nostris & peregrinis plura disseruimus.

DE MENSIBUS ROMANORUM. CAPUT VI.

Romani auctore Romulo X. mensibus annum ordinatum agebant, diebus CCCIV. qui primum mensem genitoti suo Marti dicavit: secundum ab apertione frugum nominavit Aprilem: tertium Majæ matri Mercurij: quartum Junoni factavit: Quintili & Sextili, qui nunc à nativitate Julij Cæsaris, & Augusti triumpho nuncupantur, & cæteris sequentibus à numero nomen imposuit: quorum initia Calendas appellavit, quia tunc calata, id est vocata in capitolium plebe, dicto quinquies vel septies verbo calo, id est, voco, quot dies superessent ad Nonas pronunciabatur. Nonas autem, quod Nono ante Idus die confluerent in urbem, scitaturi quid esset eo mense faciendum. Porro Idus diem qui medium dividit mensem: iduare enim Hetrusca lingua dividere est. His Numa duos menses adjiciens, Januariam à Jano, Februariam à Februo deo lustrationum nominando, CCCLIV. diebus annum ad cursum lunæ disposuit, quem Julius Cæsar undecim diebus adjectis, sicut hodie servatur, instituit.

SCHOLIA IN CAPUT VI. BEDÆ PRESBYTERI,
De temporibus: auctore Joanne Noviomago.

Romani auctore Romulo. Romulus quod sic prima gentis sue conditio exegerit, discipline militaria studiosior fuit, quàm rerum celestium, quem admodum pervulgato Ovidij versiculo inestitur: Scilicet arma magis quàm sidera Romule notas. Tractavit hoc argumentum copiosè Macrobius in Saturnaliis. Porro Quintilis, Sextilis, September, October tantum à numero dicuntur, nam propter vocabuli formam apposite sunt syllabæ rils & ber, nihil plus significantes quàm in mèditullo Tullius.

Secundum ab apertione frugum Aprilem nominant. Alij malunt deducere à Venere, quæ Græcè Aphrodite nuncupatur, est quæ hic mensis Veneris, quod & Astrologi docent. Nam Taurus, in quem mense Aprili sol transitum facit, domicilium est Veneris.

Iduare enim Hetrusca lingua dividere est. Sic & Festus docet & Macrobius, unde adhuc manserunt viduus & vidua, quasi divisi à conjugibus.

DE SOLSTITIO ET ÆQUINOCTIO.

Solstitia & æquinoctia bina putantur, VIII. Calend. Januarij & Julij, Aprilisque & Octobris, octavis scilicet partibus Capricorni & Cancris, Arietis & Libræ. Sed æquinoctialis dies omni mundo æqualis est. Vario autem lucis incremento in Merco longissimus dies XII. horas æquinoctiales, & octo partes unius horæ colligit: Alexandriae verò XIV. horas: in Italia XV. in Britannia XVII. Ubi æstate lucidæ noctes haud dubie testantur, id quod cogit ratio credi solstitij diebus accedente sole propius verticem mundi, angusto lucis ambitu subiecta terræ continuos dies habere senis mensibus, noctesque è diverso ad brumam remoto, quod fieri in insula Thyle Pythias Malliliensis scribit, sex dierum navigatione in Septentriones à Britannia distante.

SCHOLIA IN CAP. VII. BEDÆ PRESBYTERI,
de temporibus: auctore Joanne Noviomago.

Octavo Calendas Januarij & Julij. Cicerois ætate alia fuit ratio solstitiorum & æquinoctiorum: nunc enim propter motum firmamenti, seu novi orbis tardius proveniunt. Quod autem scribitur, temporum momenta provenire in octavis partibus signorum, cum concordia sententia omnium astrologorum, hæc eveniant in primis signorum partibus, referendum est ad veterem partium computationem: aliter enim partiti sunt signa veteres, de qua re eruditè disserunt Zieglerus in Commentarijs super secundum Plinij.

Sed æquinoctialis dies omni mundo æqualis est. Extat hujus rei demonstratio in Phenomenis Euclidis de Conversionibus spherarum. Omnes enim in sphaera circuli maximi secant sese in duas partes æquales, veluti Horizon & aquator: reliquos verò circulos, quos sol mundi ambitum describit, inæqualiter Horizon dividit præterquam sub æquinoctiali. Ne dierum & noctium vario incremento libro superiore actum demonstrationibus aliquor: & rursus libro de Natura rerum, de gnomonicis & rationibus umbrarum.

DE TEMPORIBUS. CAPUT VIII.

Tempora sunt vices mutationum, quibus sol accedendo vel recedendo anni temperat orbem. Hyems enim illo longius morante, frigida est & humida: ver, illo redeunte, humidum & calidum: æstas verò, illo superfervente, calida & sicca: autumnus, illo decedente, siccus & frigidus. Hæc autem antiqui septimo die ante Idus Februarias, & Majas, Augustasque & Novembres inchoabant, ut solstitia & æquinoctia in medio essent temporum. Ver autem orienti comparatur, quia tunc ex terris omnia oriuntur: æstas meridiano, eo quod pars ejus calore fragrantia sit: autumnus occiduo, eo quod ob confinium caloris & frigoris graves morbos habeat: hyems septentrioni, eo quod frigore torpeat.

DE ANNIS. CAPUT IX.

Anus solaris vel civilis est, dum sol CCCLXV. diebus & quadrante Zodiacum peragit, quem Romani à bruma, Hebraei ab æquinoctio verno, Græci à solstitio, Ægyptij inchoant ab autumno. Annus lunaris communis XII. lunis, id est, diebus CCCLIV. Embolismus tredecim lunis, & diebus trecentis octuaginta quatuor implentur, à luna paschali summentes initium. Annus magnus est, dum omnia sydera certis curribus exactis ad locum suum revertuntur, quem sexcentis annis solaribus Josephus dicit impleri.

DIVISIO ANNI



Sit Zodiacus circulus ABTA, in cuius medio sit \odot quasi terra, per quam duæ lineæ diriguntur: utraque diametros intelligatur, ab A in T, & à B in Δ . Ergo sol accedens ad A, facit nnum æquinoctium; & ad T, aut unmale, ad B autem conversionem æstivam, & T ad Δ hyemalem.

SCHOLIA IN CAP. IX. BEDÆ PRESBYTERI.
De temporibus: auctore Joanne Noviomago.

Annus solaris vel civilis. Civilis apponi solet diebus, non annis. Sunt enim dierum alij civiles, qui constant spacio dies & noctis viginti quatuor horarum: alij naturales, qui sunt inter solis exortum & occasum, alias hi anni vertentes dicuntur, ut apud Cicero in lib. 6. de Repub. quod siant solis conversione per circulum zodiacum: unde & Greci eadem similitudine ducti, annum $\epsilon\nu\nu\alpha\delta\upsilon$ vocant, quod veluti in sursum convertatur, quæ natura est motus circularis. Verum de magno anno, quem etiam Platonici vocant, varia sunt dictionum sententia.

DE BISSEXTO. CAPUT X.

Bissextus ex quadrantis ratione per quadriennium conficitur, dum sol ad id signum, ex quo egressus est, non in CCCCLV. diebus, sed quarta diei parte superadjecta revertitur. Verbi gratia: si nunc æquinoctialem cæli locum sol Oriens intraverit, in hunc anno sequenti meridie, tertio vespere, quarto medio noctis, quinto rursus in exortu recurrens, necessario diem præmonet augendum: ne si forte non addatur, per CCCCLV. annos æquinoctium vernale brumali die proveniat. Quem Ægyptij anno suo expleto, id est, IV. Kalendarum Septembrium, Romani VI. Kalendarum Martiarum, unde & nomen accepit, interponunt. Breviori autem & vulgari ratione bissextum retardatio generat solis, non ad eandem lineam per CCCCLV. dies plene redeuntis: quem si, verbi gratia, in æquinoctio vernali, quod juxta Ægyptios XII. Kalendarum Aprilium die provenit, surgentem à medio Orientis diligenter adnotaveris, hunc anno sequenti, die videlicet eodem, aliquanto inferius oriri, & tertio, quarto, quintoque anno eandem diminutionem in tantum angere reperies, ut nisi diem ante superadicias, XI. Kalendas Aprilis æquinoctium facturum sol è medio surgat orientis, eandem scilicet tarditatem cæteris quoque servaturus exortibus.

DE CYCLO DECENNOVENALI.
CAPUT XI.

Cyclo decennovenalem propter XIV. lunas Paschales Nicæna Synodus instituit, eo quod ad eundem anni solaris diem unaquæque luna per XIX. annos CCXXXV. circumacta vicibus, inerrabili cursu redeat, qui dividitur in odo adas, & hendecadas, hoc est, in VIII. & XI. annos. Octo enim anni lunares totidem annos solares duobus tantum diebus transcendunt: quorum alter ad explementum occurrit hendecadis, alter ratione saltus absimitur, alioqui hendecas solaris uno die transcenderet lunarem. Licet quidam violenter hos dies ex bissextilis octo annorum suppleere nitantur: cum bissextus soleat in mense Februario soli superfluis & lunæ, futuro tempore nihil præjudicare, & ipsi nullum hendecadi bissextum addant. Ut ergo apertius dicam, duo lunæ dies, qui superflui sunt in odo adas, duos qui defunt in hendecade complent.

DE SALTU LUNÆ CAPUT XII.

Saltum lunæ locus & hora citior in eensionis ejus per XIX. annos efficit: quamvis enim quidam singulas lunas XXIX. semis diebus computantes, in eensionis earum medio diei, & medio noctis semper alternent, non in hoc tamen veritatem naturæ, sed calculandi facilitatem vel compendium inquirunt. Nam si naturam quæras lunæ primi mensis, quæ nunc in meridie: & secundi, quæ nunc in medio noctis accenditur, anno futuro hora, & uno puncto, & decem momentis, & nonadecima parte unius puncti ante medium diei vel noctis illustratur. Hæc tamen distinctio non ad certum embolismi, vel communis anni terminum, sed ad æquam divisionem XIX. tendit annorum, sicque per XIX. annos paulatim lunaris accensio sese præoccupando unius diei spacium amittens, ultimum decennovenalis cycli annum CCCLXXXIII. diebus facit computari. Quod si facere negligas, per XV. decennovenales cyclos XV. tibi luna ubi prima putatur, occurret.

CONTINENTIA CYCLI EIUSDEM.
CAPUT XIII.

Cyclo idem Paschalis VIII. est lineis communiter. Primus ordo continet annos ab incarnatione Domini, unius singulis annis augmento crescentis. Secundus indictiones Romanorum, quæ in se semper XV. annorum cursu revolvuntur. Tertius Epactas XI. lunares, quæ per singulos annos solares ad cursum lunæ succrescunt, & ad lunam.

Kalendarum quærendam semper adiciuntur postea XI. Kalendas Aprilis. Quartus concurrentes septimanæ dies, quæ postea IX. Kalendas Aprilis, propter dispendium bissexti necessario XXVIII. annis implentur: quartum ratio cogit cyclos decennoveales XXVIII. describi, ut singulæ concurrentes singulos cyclos inchoent, totaque summa Paschalis calculi DXXXII. annis explicetur. Quintus cyclum lunarem, quem tribus annis decennovenalis præcedit: XIX. annis etiam ipse comprehensus. Sextus XIV. lunas, quibus veteres Pascha faciebant, quæ à duodecimo Kal. Aprilis, usque in XIV. Kalendas Majas vario discursu vagantes, tempus incensionis ab VIII. Idus Martias usque in Nonas Aprilis accipiunt: A XIV. autem luna usque ad XIV. anni sequentis dies sunt CCCLIV. si communis annus est. Si embolismus, CCCLXXXIV. Septimo, dies Dominicæ Paschæ reperiuntur ab XI. Kalendarum Aprilium usque in VII. Kalendas Majas, ob rationem embolismorum licenter extendi. Ultimo ordine luna festi Paschalis à XV. usque in XXI. propter diem Dominicum variata: * adimit enim saltus noctem, addit vero ætatem, quæ per omnem cyclum adolevit. Sed in hoc nox adimitur, quod antè luna deficit, quod putatur, naturaliter verò nox ipsa perseverat, quæ nox initium est futuri anni, & cycli incipientis exordium: propter quod idem ultimus annus Epactas XVIII. tunc retinens, primo anno non XI, ut in cæteris annis fieri solet, sed XII. dies accommodat. Et quia XXX. dierum sine revolvuntur, nulla Epacta in principio cycli ponitur.

SCHOLIA IN CAP. XIII. BEDÆ PRESBYTERI,

De temporibus: auctore Joanne Noviomago.

Redditur hic ratio illorum indicum, qui libro ultimo ad finem sunt adjecti, qui constant annis DXXXII. quibus exactis omnia redeunt eadem ut sunt ab initio, quem admodum alibi pluribus dictum est. Reduximus hos circulos in pristinam dignitatem, erant enim in exemplaribus quæ hæcenus fuerit in usu supra modum depravati.

ARGUMENTA TITULORUM PASCHALIUM

CAPUT XIV.

SINOSSEVIS quot sunt anni ab incarnatione Domini, scito quot fuerint ordines Indictionum, ut puta quinto anno Tyberij principis XLVI. hos per XV. multiplicata, sunt DCXC. Adde semper regulares XII. quia quarta Indictione secundum Dionysium Dominus natus est, & indictionem anni cuius volueris, ut puta in præsentis septimana, sunt DCCLV. isti sunt anni nativitatibus Domini. Si vis scire quanta sit Indictio, sume annos Domini, & adice tria, partire per XV. & quod remanserit, ipsa est indictio anni præsentis. Si vis scire quot sint Epactæ lunares, partire annos Domini per XIX. & quod remanet, multiplica per XI. Item partire per triginta, & remanent Epactæ. Si vis scire concurrentes septimanæ dies, sume annos Domini, & eorundem quartam partem adice. His quoque quatuor adde, quinque concurrentes fuerunt anno nativitatibus Domini, hos partire per septem, & remanent Epactæ solis. Si vis scire quotos sit annus circuli decennovenalis, sume annos Domini, & unum adiciens, quia ejusdem anno secundo natus est Dominus, partire per XIX. & quod remanet, ipse est annus cycli decennovenalis. Si vis scire quotos cyclus lunaris est, sume annos Domini, & duo subtrahens divide per XIX. & quod remanserit ipse est annus circuli lunaris. Si vis nosse bissextilem annum, partire annos Domini per IV. quantum remanserit, tot sunt anni à bissexto. His ergo ad certum inventis facile diem Paschæ lunamque reperies. Quod si à præsentis post aliquot annos, verbi gratia post C. Pascha scire velis, Epactas tamen, & concurrentes solis dies invenire sufficit, partire autem centum per XIX. remanent V. Illas ergo scito Epactas centesimo quinto anno futuras. Eodem modo centum per XXVIII. dividens, eas centesimo, quas XVI. anno concurrentes solis invenies.

DE SACRAMENTO TEMPORIS PASCHALIS.

CAPUT XV.

IDEO autem Pascha non ad eundem redit anni diem, sicut tempus Dominicæ nativitatibus, quod ibi nativitatibus ipsius memoria tantum solennis habeatur: hic verò vitæ venturæ & mytheria celebrentur, & munera capiantur: unde & nomen ipsum Paschæ transitum de morte ad vitam significans, congruum quoque mytherijs tempus inquirat. Primò ut æquinoctio transensio, tenebræ mortis à vera luce vincantur. Deinde, ut primo mense anni, qui dicitur mensis Novorum, vitæ novæ gaudia celebrentur. Tertio, ut resurrectio die tertio facta, & tertio tempore sæculi, id est, sub gratia manifesta, cum jam ante legem, & sub lege in Prophetico lateret ænigmatè, in tertia lunæ septimana veneretur, cum & ipsa tunc lunæ conversio mentis gloriam de terrenis ad cælestem doceat mutari contuitum. Atque ad ultimum, ut dies Dominica conditione lucis insignis, & triumpho Christi veneranda, nostra quoque resurrectione nobis optabilis in memoriam revocetur.

DE MUNDI ÆTATIBUS. CAP. XVI.

SEX ætatibus mundi tempora distinguuntur. Prima ætas ab Adam usque ad Noe continens generationes X. annos verò MDCLVI. Quæ tota perijt diluvio, sicut infantiam mergere solet oblivio. Secunda à Noe usque ad Abraham generationes similiter complexa X. annos autem CCXCII. Quæ in lingua inventa est, id est, Hebræa. A pueritia namque homo incipit nosse loqui post infantiam, quæ & nomen inde accepit, quod fari non potest, id est, loqui. Tertia ab Abraham usque ad David generationes XIV. annos verò DCCCXLIII. continens. Et quia ab adolescentia incipit homo posse generare, Matheus generationum ex Abraham sumpsit exordium, qui etiam pater gentium constitutus est. Quarta à David usque ad transmigrationem Babylonis generationibus æquæ juxta Mattheum XIV. annis autem CCCCLXXXIII. portecta, à qua Regum tempora cœperunt. Juvenilis enim dignitas regno est habilis. Quinta deinde usque ad adventum Salvatoris in carnem generationibus & ipsa XIV. portecta annis DLXXXIX. extenta, in qua ut gravi senectute fessa malis crebrionibus plebs Hebræa quassatur. Sexta, quæ nunc agitur, nulla generationum vel temporum serie certa, sed ut ætas decrepita ipsa totius sæculi morte finiendâ.

CURSUS ET ORDO TEMPORUM.

CAPUT XVII.

Prima ergo ætas continet annos juxta Hebræos M. DCLVI. Juxta septuaginta interpretes MII CCXLII. Adam annorum CXXX. genuit Seth, qui pro Abel natus est. Seth annorum CV. genuit Enos. Iste incipit.

invocare

invocare nomen Domini. Encos annorum XC. genuit Cainan. Cainan annorum LXX. genuit Malaleel, qui interpretatur plantatio Domini. Malaleel annorum LXV. genuit Jareth. Jareth annorum CLXII. genuit Enoch, qui est translatus a Deo. Enoch annorum LXV. genuit Mathufalam. Concupiscunt filij Dei filias hominum. Mathufalam annorum CLXXXVII genuit Lamech. Gigantes nati sunt. Lamech annorum CLXXXII. genuit Noe, qui arcam edificavit. Noe anno DC. venit diluvium.

DE SECUNDA ÆTATE. CAP. XVIII.

Secunda ætas continet annos juxta Hebræos CCVCII. Juxta Septuaginta Interpretes DCCCCXLII vel adjectio Cainan MLXXXII. Sem anno II. post diluvium genuit Arphaxat, a quo Chaldaei. Arphaxat annorum XXXV. genuit Sale, a quo Samaritæ & Indi. Sale annorum XXX. genuit Heber, a quo Hebræi. Heber annorum XXXIV. genuit Phalech. Turris edificatur Phalech annorum XXX. genuit Reu. Dij primum adorantur. Reu annorum XXXII. genuit Seruch. Regnum Schyrarum inchoat. Seruch annorum XXX. genuit Nachor. Regnum Ægyptiorum nascitur. Nachor annorum XXIX. genuit Thara. Regnum Assyriorum & Sicyoniorum exoritur. Thara annorum LXX. genuit Abraham. Semiramis condidit Babyloniam.

Chaldaei
Samaritæ.
Indi.
Hebræi.

DE TERTIA ÆTATE. CAP. XIX.

Tertia ætas continet annos DCCCCXLII. Abraham annorum LXXV. venit in Chanaan. Abraham annorum C. genuit Nam primò genuit Ismael, a quo Ismaelitæ. Isaac annorum LX. genuit Jacob. Regum inchoat Argivorum. Jacob annorum XC. genuit Joseph. Memphis in Ægypto conditur Joseph CX. annos vixit. Græcia sub Argo segetes habere cepit. Hebræorum servitus annorum CXLIV. Cærops Athenas condit. Moyses annis XL. rexit Israel. Lacedæmon conditur. Josue annis XXVI. Judicis a Moysè usque ad Samuel præfuerunt annis CCCC. Othoniel annis XL. Cadmus Thebarum Rex Græcias literas invenit. Aorh annis LXXX. Amphion musicus claruit. Debora annis XL. Primus Latinus regnat Picus Gedeon annis XL. Orpheus Linusque musici elaruerunt. Abimelech annis III. Ille fratres suos septuaginta interfecit. Thola annis XXIII. Priamus regnat in Troja. Jair annis XXII. Carmentis Latinas literas reperit. Jephthe annis VI. Hercules se flammis injecit. Abellan annis VII. Bellum Trojæ decennale surrexit. Achialon annis X. Hic in LXX. Interpretibus non habetur. Labdon annis VIII. Eneas venit in Italiam. Samson annis XX. Ascanius Albam condidit. Heli annis XL. Regnum Sicyoniorum finitur. Samuel & Saul annis XXXII. Lacedæmoniorum regnum exoritur.

DE QUARTA ÆTATE. CAP. XX.

Quarta ætas continet annos juxta Hebræos CCCLXXXIII. Translatotes Septuaginta XII. adjiciunt. David annis XL. Carthago à Didone conditur. Solomon annis XL. Qui templum edificavit anno CCCCCLXXX. egressiois ex Ægypto. Ex quo apparet Samuel & Saul XXXII. annis, non XL. præfuisse. Roboam annis XVII. Regum Israel & Juda dividitur. Abia annis III. Pontifex Abimelech in signis habetur. Asa annis XLI. Hic. Prophetes occiditur ab Asa rege Israel. Josaphat annis XXV. Helias & Abdias Michasque prophetant. Joram annis VIII. Edom defecit a regno Judæ. Ochozias anno I. Helias rapitur. Jonadab filius Rechab sacerdos claruit. Athalia annis VI. Joas annis XL. Zacharias Joadæ filius lapidatur. Amazias annis XXIX. Amos præphetat in Israhel. Ozias annis LII. Assyriorum regnum in Medos transfertur, quod à Beli principio steterat, annis M. CCCV. Joathan annis XVI. Ozece, Johel, Elaiasque prophetant. Achaz annis XVI. Roma conditur, & Israhel in Medos transfertur. Ezechias annis XXIX. Romulus centum Senatores constituit. Manasses annis LV. Numa duos menses adject. Anno annos III. Tullius in republica censum egit. Josias annis XXXI. Thales physicus claruit. Joachim annis XI. Hujus anno tertio Nabuchodonosor Judæam cepit. Sedechias annis XI. Templum Hierosolymitanum incensum est.

DE QUINTA ÆTATE. CAP. XXI.

Quinta ætas continet annos DLXXXIX. Hebræorum captivitas annis LXX. Judith historia conscribitur. Darius annis XXXVI. Hujus secundo anno templum Hierosolymis extruitur. Primus autem regni ejus inter septuaginta annos captivitas Judæicæ concluditur. Xerxes annis XX. Herodotus historiographus agnoscitur. Artabanus mensibus VII. Socrates nascitur. Artaxerxes annis XL. Eldras legem, Neemias Hierosolymam restaurat. Darius, qui & Nothus, annis XIX. Plato nascitur. Artaxerxes annis LX. Hæster historia completur. Artaxerxes, qui & Ochus, annis XXVI. Demosthenes, & Aristoteles prædicantur. Xerxes Ochi filius annis IV. Xenocrates claruit. Darius annis VI. Hucusque regnum Persarum, dehinc Græcorum. Alexander annis V. Nam V. ejus anni cum Persarum regibus supputantur. Ptolemæus Lagi filius annis XVII. Machabæorum liber inchoat. Primus Philadelphus annis XXXIII. Septuaginta interpretes claruerunt. Evergetes annis XXVI. Jesus sapientiæ librum composuit. Philopater annis XVII. Machabæorum liber secundus inchoat. Epiphanes annis XXIV. Romani Græcos obrinuerunt. Philometor annis XXXV. Hunc Antiochus superans Judæos oppressit. Evergetes annis XXIX. Bætus Hispaniam subegit. Soter annis XVII. Varro Ciceroque nascuntur. Alexander annis X. Syria per Gabinium ducem subiecitur Romanis. Ptolemæus Cleopatæ filius annis VIII. Salustius historiographus nascitur. Dionysius annis XXX. Pompejus Judæam cepit. Cleopatæ annis XXI. Hucusque regnum Græcorum, nunc Romanorum. Julius Cæsar annis V. Ab hoc Cæsares appellati.

DE SEXTA ÆTATE. CAP. XXII.

Sexta ætas continet annos præteritos DCCVIII. Octavianus annis LVI. Hujus anno XLII. Dominus nascitur, completis ab Adam annis III. MDCCCCLII. Juxta alios VMCCXCIX. Tiberius annis XXXIII. Hujus anno XVIII. Dominus crucifigitur. Gajus annis quatuor. Mattheus Evangelista scribit. Claudius annis tredecim. Petrus Romam, Marcus Alexandriam petit, Nero annis quatuordecim. Petrus & Paulus cruci gladioque traduntur. Vespasianus annis X. Hujus secundo anno Hierosolyma subvertitur. Titus annis II. Hic facundus & pius fuit. Domitianus annis XVI. Joannes in Pathmon relegatur. Nerva anno I. Joannes Apostolus Ephesum rediens Evangelium scripsit. Trajanus annis XIX. Simeon Hierosolymorum Episcopus crucifigitur, & requiescit Joannes Ephesi. Hadrianus annis XXI. Aquila interpretis habetur. Antoninus Pius annis XXII. mensibus quatuor. Valentinus & Marcion agnoscuntur. Antoninus minor annis XIX. Cataphrygarum hæresis exoritur. Commodus annis tribus. Theodotion interpretis habetur. Ælius Pertinax annos. Severus Pertinax annis octodecim. Symmachus interpretis habetur. Antonius Caracalla annis VII. Quinta æditio Hierosolymis invenitur. Marrianus anno I. Aurelius Antoninus annis quatuor. Sexta ædi-

rio Nicopoli reperitur. Alexander annis tredecim. Origenes Alexandria claruit. Maximinus annis tribus. Hic persequitur Christianos. Gordianus annis septem, Fabianus Episcopus Romæ celebratur. Philippus annis septem. Hic primus Christianus imperator fuit. Decius anno uno. Antonius monachus claruit. Gallus & Volusianus annis II. Novatiana hæresis exoritur. Valerianus annis XV. cum Galieno. Cyprianus martyrio coronatur. Claudius annis II. Paulus Samosata hæresim condidit. Aurelius annis V. hic persequitur Christianos. Tacitus anno I. Probus annis VII. Manichæorum hæresis exorta est. Carus annis II. Ille de Persis triumphavit. Dioclerianus & Maximianus annis XX. Ille persequitur Christianos. Maximinus Severus que annis II. Constantinus annis XXXI. Nicæna Synodus congregatur. Constantius & Constans annis XXIV. Ossa Andrea & Luca Constantinopolim transferuntur. Julianus annis II. Hic ex Christiano paganus persequitur Christianos. Jovianus anno I. Hic cum omni exercitu Christianus efficitur. Valentinianus annis * XIII. qui à Juliano ob fidem Christi militiam fuerat privatus. Valens annis III. Gratianus annis VI. Ambrosius & Martinus Episcopi clarescunt. Valentinianus cum Theodosio annis IX. Hieronymus in Bethleem prædicatur. Theodosius annis III. cum Arcadio & Honorio. Anachorita Joannes claruit. Arcadius annis XIII. cum fratre Honorio. Joannes Chryostomus & Augustinus Episcopi prædicantur. Honorius annis XV. cum Theodosio minore. Cyrillus Alexandria claruit. Theodosius minor annis XXVI. Ephesina Synodus Nestorium condemnat. Martianus annis VII. Chalcedonense concilium geritur. Leo major annis XVII. Egyptus errore Dioscori latrat. Zenon annis XVII. Corpus Barnabæ Apostoli reperitur. Anastasius annis XXVI. Fulgentius Episcopus prædicatur. Justinus annis IX. Acephalorum hæresis abdicatur. Justinianus annis XXXIX. Hujus VI. anno Dionysius palchales circulos inchoat. Justinus minor annis XI. Armenij fidem Christi suscipiunt. Tiberius annis VII. Herminigildus Rex Gothorum martyrio coronatur. Mauritius annis XXI. Gregorius Romæ floruit Episcopus Phocas annis VIII. Saxones in Britannia fidem Christi suscipiunt. Heraclius Alexandria claruit. Theodosius minor efficitur. Heraclionus cum matre sua Martina annis II. Constantinus filius Heraclij mensibus VI. Constantinus filius Constantini annis XXVIII. Eclipsis solis facta est indictione septima, quinto Nonas Majas. Constantinus filius Constantini superioris annis XVII. Hic sextam Synodum composuit. Justinianus filius Constantini annis X. Africa restaurata est imperio Romanorum. Leo annis III. Tyberius dehinc quintum egit annum. Reliquum sextæ aetatis Deo soli patet.

aliis XI.

LIBRI DE TEMPORIBUS, FINIS.

SENTENTIÆ, SIVE AXIOMATA PHILOSOPHICA

VENERABILIS BEDÆ, EX
ARISTOTELE ET ALIIS PRÆSTANTIBUS
PHILOSOPHIS COLLECTA, VNA CVM BREVIORIBVS QVIBUSDAM
EXPLICATIONIBVS AC LIMITATIONIBVS.

A Deo dependet cælum & tota natura, 12. Metaphysicorum] *Ille auctoritas sic intelligitur, quod cælum & tota natura dependent à Deo, & quoad fieri seu produci, & quo ad conservari. Secundum Aristotelem tamen, qui falso opinatus est materiam primam esse Deo coeternam, & ipsum mundum fuisse ab æterno, intelligitur duntaxat quoad conservari, non autem quoad fieri. Materia enim prima secundum ipsum non est facta, nec mundus, sed subire ab æterno. Nisi forte dicendum videatur, & secundum Aristotelem materiam & mundum à Deo fuisse producta non quidem de novo & ex nihilo (juxta ipsum enim ex nihilo nihil fit, primo Phys. text. 33. & 34. & in 7. Metaph. text. 22.) sed per simplicem quandam emanationem seu naturalem quandam processionem, qualem nos verissime credimus solum in personis divinis.*

Actus separatus & distinguit, 7. Metaph. & 3. de Anima] *At quandoque aliqua distinguuntur, non solum per formas, verum etiam per materias dantur enim materia propria, sicut & forme propria. Respondetur sensum esse, quod materia bene separata & distinguitur per actus inclusos, quia materia ex sui natura nullius est activitatis, vel melius & brevius, Actus separatus & distinguitur sicut principaliter.*

Arguendo ab esse ad posse, bona fit consequentia.] *Intelligitur hoc axioma sic: Arguendo affirmativè & sine distributione & sine dictione includendo negationem. Vnde non sequitur, A est maximum corpus, quod est, ergo A est maximum corpus, quod potest esse, consequentia non valet, quia antecedens potest esse verum sine consequente.*

Album fit ex nigro, musicus fit ex non musico, 1. Phys.] *Ibi dicitur quod ex importat circumstantiam ordinis, sed quando dicitur lignum debet componi ex suis medietatibus, ibi 1y ex importat circumstantiam temporis.*

Album de per accidens est quantum, per Philosophum in Prædicamentis.] *Ibi dicitur quod Philosophus vult, quod ille terminus Album ponitur in Prædicamento Quantitatis, de per accidens. Albedo enim per se ponitur in Prædicamento Qualitatis, ratione albedinis verò ponitur ibidem id quod album est.*

Agente eodem modo existente, & materia erit idem effectus, 2. Metaph.] *Intelligitur sic, tam de agentibus principalibus quam instrumentalibus, ita quod sit omnino idem agens, & idem passum eodem modo dispositum, tunc non sunt diversi effectus, sed unus tantum.*

Appetitus materiae, non est nisi motus ad formam, Commentator 1. Physicorum.] *Respondetur quod Commentator capit motum valde largè, sive improprie, videlicet pro naturali inclinatione.*

Aliqua res naturalis distinguitur ab artificiali 2. Phys. in principio.] *Dicitur ibi, quod Philosophus loquitur ibi indefinite vel particulariter, & sic illa est vera: vel dicitur quod solum voluit quod res naturales differant ab artificialibus ratione & non re, quia eadem est res.*

Alchimista dicunt quod ex ferro vel cupro potest fieri aurum per eorum artem.] *Ibi dicitur quod ex ferro vel cupro fit aurum vel argentum apparenter non autem existenter. Et ratio est, quia per nullam artem forma substantialis potest poni in esse specifico alterius forme.*

Arts simpliciter facit materiam, 1. Phys.] *Dicitur quod intelligitur de materia secunda, non autem de materia prima; quia materia prima non est facta, quia est ingenerabilis & incorruptibilis, ut patet ibidem.*

Accidentis non est accidens, 4. Phys.] *Intelligitur sic, accidentis non est accidens inquam subiecti originalis, & sic fiat bene, quod albedo est in superficie, quæ etiam est unum accidens, & linea habet rotunditatem & corruptibilitatem, sed hoc non tanquam subiectum originale, quia originaliter est in substantia.*

Accidens definitur per subiectum suum, 7. Metaph.] *Et sic album est subiectum, habens sufficientem albedinem per sui*

denomi-